



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Toletana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)

PROVINCIA TOLETANA.



SVNT in hac Prouincia per domicilia quindecim, eorūq; villas quingenti quinquaginta. In professa domo Toletana quadraginta sex, media pars Sacerdotum, qui domesticis occupantur totidem. In Complutensi nonaginta vnus, Sacerdotes viginti septē, Scholasticæ Theologiæ doctores duo, Positivæ (quam vocant) vnus, Moralit item vnus, Scholastici viginti tres, quindecim Theologiæ auditores, Philosophiæ octo, cæteri domesticis inseruiunt. In Conchenſi 11. Sacerdotes 5. Coadiutores 6. ex his 2. rudimenta legendi scribendiq; tradunt. In Placentino viginti quatuor, decem Sacerdotes, Theologiæ moralis vnus Doctor: Grammaticæ tres: domestica tractant reliqui. In Musuano tres, & sexaginta, viginti sex Sacerdotes, duo Theologiâ Scholasticam docent, vnus Moralem, vnus & alter Philosophiam, tres Latinas litteras: Scholastici septedecim: reliqui Adiutores. In Occaniensi decem & nouem, vndecim Sacerdotes, vnus conscientiæ casus docet, tres Grammaticam, cæteri autem domestica curant. In Belmontino duo & viginti, nouem Sacerdotes, quatuor iuuentutem

instituant humanioribus litteris, domus curam gerunt reliqui. In Matritano octoginta, septem & triginta Sacerdotes, quinque humanitatis scholas moderantur: domesticis nauant cæteri. Larauacæ septemdecim, vnus Grammatica instituit iuuentutem, Coadiutores sunt reliqui. In Securitano quatuordecim, septem Sacerdotes, vnus Latinitatem docet, reliqui seruiunt domesticis, vnus legendi, scribendique artem docet. In Talabruensi decem, quinque Sacerdotes, duo Grammaticæ rudimeta docent, cæteri curant domestica. In Oropessano triginta octo Sacerdotes tredecim, artium liberalium Doctores tres, Moralis Theologiæ vnus, Grammaticæ Latinæ, & Græcæ quatuor, Philosophiæ auditores viginti quinque, cæteri Coadiutores. In Optensi viginti octo, nouem Sacerdotes, humaniores litteras docet tres, vnus Seminarium moderatur, cuius auditores fratres octo, reliqui administrant. In Toletano quinque, tres Sacerdotes, duo præceptores Grammaticæ. In domo Probationis octoginta, Sacerdotes septem: secundæ, & tertiæ Probationis quinquaginta duo: in domesticis iuuant alij. E vita migrarunt viginti tres, noue Sacerdotes, Scholastici quatuor, Coadiutores decem. Admissi sunt in Societatem quadraginta duo Scholastici viginti quinque, Coadiutores decem.

DOMVS PROFESSA TOLETANA.



MNES in hac vrbe Nostrorum conciones satis gratæ toti ciuitati fuerunt: gratissimæ verò (si vllæ multis ante annis) quæ ab vno habitæ sunt, quem frequentissimè, cum populares, tum nobiles, vt superiore anno scripsimus, & pari

nisi maiore voluptate, audiunt. Expetunt Nostri à mul-
 tis disciplinae, consilij, solatij, & spiritualis auxiliij causa;
 quorum omnium voluntati fit satis. Ad vinctos quorum
 hic magnus est numerus, itum frequentissimè, nec ra-
 rius, nec minore fructu ad Nosodochia, ad quæ pro vr-
 bis magnitudine ægtorum propè infinita confluit
 multitudo, omni morborum genere laborans. Inter non-
 nullos dissuta gratia reconciliata est, duorum maximè
 quorum alter alteri colaphum impegerat. Illud quasi
 Sodalitium bonorum quos in pauperibus via publica
 intempesta nocte iacentibus, foeminisque eo tempore
 turpiter per urbem grassantibus colligendis, corrigendis
 occupari aliàs scripsimus, quod Nostrorum hor-
 tatu cœpit, in eodem studio ardentius etiam versatum
 est. Perinde ac illud, quod pro subleuandis victu, vesti-
 tuque vinctis Patris Thomæ Fernandez olim hîc con-
 cionatoris satis boni concionibus, & Patris Francisci
 Leonis suasionibus institutum est, hodieque nostræ So-
 cietatis exhortationibus perseuerat. Eum tractum (quos
 montes Toletanos appellant) duo è Nostris pedites, ro-
 gataque stipe viuentes, multa ruditate, & ignorantia li-
 berarunt, & audiendis confessionibus plurimùm ad-
 iuuerunt.

COMPLVTENSE COLLEGIVM.



T à materiali exædificatione ordiar: pius, &
 Societati plurimùm affectus Sacerdos Bar-
 tholomæus Suilia veteri suæ fabricæ in I E-
 S V-montana villa nouam addere instituit, in
 vetustissima, & penè collapsa priori Domus parte: circū
 vetus

verus impluvium diruta. Quod ut res coepta erat, atria undique ambiunt fornicibus elaborato lapide constructis: quæ ex eadem materia, & artificio columnis tantum firmissimis: à tergo stant cubicula satis ad Nostorum habitationem accommodata. Ad vestibulum demus procestrium aliud altiore fornice, crassioribusque columnis eodem opere exædificatur, cui sese aperit ingressus, & aspectu gratissimus campus.

FELICIVS auspicijs annus est inchoatus, fortunato Illustrissimi Domini Garfæ Ioannis Toleræ Archiepiscopi die Circumcisionis Domini ad nos aduentu, & quoniam creatus Archiepiscopus tum primum nos visit, non vulgari apparatu exceptus est domo, ac templo emblematis, & carminibus satis arridetibus ornato, ubi sacrum solemne, cui accessit concio, confecit, pulvinaria dominæ Catherinæ Mendozæ fundatricis adiit, eidemque magnificis verbis gratias egit, quod pro suis partibus ad tanti Collegij constructionem animum adiecisset, & ad perficiendum magna de Societate existimatione sua explicata inflammavit. Prandium deinde sequutum est, positumque Theologiæ lectione sumptuosissime conditum, ut multis, & gravissimis verbis significavit, tamque se Nostorum doctrinæ cupidum ostendit, ut primis assertionibus Theologicis voluerit interelle, in quibus etiam perhumanè disputavit, multa cum respondentis laude. Coepit deinde Nostorum uti operam ad omne genus instituti nostri, in colligendis præsertim egentibus (erant autem permulti) quibus satis liberaliter subveniebat. Placuit tamen Divinæ Maiestati multatum Nostorum, tum totius diœcesis spem tanti Antistitis præmatura morte intercideret. Vita decessit in Nostorum manibus, quorum consilio omnia sua piè admodum constituit. Tenebatur quidam ob homicidium in vinculis Prætoris urbani, quem Scholastici magna vi, armisq;

confractis fimbriis, & catenis liberarunt. Rei auctoribus elapsis, innocentibus multis ob facinus comprehensis, magno Nostrorum labore, opportunis auxilijs, tum victu, tum libertate impetrata subuentum est.


F A M A liberalitatis Archiepiscopi diocesim totam peruaserat, quæ magnam, vt fit, pauperum turbam euocauit, quorum vel pædore, vel contagijs ineunte anno malè se populus, tubere varijs corporis partibus enascente, habere cœpit: obscuris mitijs in apertam pestem incidimus, ex qua quatuor fore hominum millia sublata. Non potuit Societas iam ostentatæ occasione non sese offerre: præsertim cum soli Parochi tantæ multitudinis ægrotorum subueniendo non essent. Principio vocati accurrimus, deinde re augescente necesse fuit, vt ultra succurreremus. Sex partitis vicis, & vicibus per domus singulas ægrotos perquirebamus: & quod soli, & quod tam diligenter in hoc negotio versaremur, munifice oppidani factum commendabant: Erat enim miserimus vrbis status: nam à viris coniuges, fratres à fratribus, à parentibus filij pestis metu destituebantur. Morbo in dies magis ingrauescente, æstu etiam ardente, cane omnes vexante, necesse fuit, quo melius subueniretur à Nostris, partim asino, partim equo vehi, erant namque sæpè ægri reuifendi, eundem ac redeundum, quod interdum qui ratione carebant veipere, ad se manè redibant, ita vt possent confiteri. Quo factum est vt omnes sacramentis communiti discesserint.

F V I T illud Diuinæ providentiæ beneficium singulare, quod cum paulò antequam scholæ intermissionis causa dimitterentur, malum ingrauesceret, nostrique Magistri cum auditoribus nondum in villam LESV-MONTANAM commigrassent: nihil tamen mali in eos arrepsit, quo ad ipsos eò deductis flamma vehementissimè exardescens è Nostris vndecim corripuit: ex quibus tres

tres tantum conualuerunt : octo de medio sublatis sunt, Sacerdotes duo, Coadiutores sex. In Sacerdotibus prior fuit Pater Alphonsus Gomez ; qui dum Toleti deperet vicino oppido, eo genere morbi extincto Parochiam eius munus, si per obedientiam non stetit, obituro se praestitit. Patri vero Prouinciali consultius visum est, si quantum ab illo in alienis opere ponendum erat ; hoc in Nostris adiuuandis poneretur : ubi ille tam se gestit strenue, & ardentem, ut post multam impensam operam, diceret sibi magnam religionem fore ; nec se Societatis pane vesci auturum, nisi quantum posset in ea retenderet. Quam contentionem spes est iam caelesti munere compensatam. Post hunc secutus est Pater Iulianus Arce, charitatis feruore, & studio pietatis non inferior, qui cum vixdum e quartana conualuisset, tanto ardore occasionem arripuit, ut primus se Superiori offerret. Dumque ipse vnum, aut alterum audiret, Socium querendorum aegrotorum causam in viciniam dimittebat, quod omnibus subueniretur opportunius : tandem multo absoluto penso, domum rediens, veritus ne sibi labor adimeretur, Socio mandabat, ne quantum esset defuditum Superiori renunciaret. Tam hi, quam fratres sex reliqui miserandam morbi pestilentis vim, & difficillimas curationes incredibili patientia usque ad pessimam mortem pertulerunt. In quibus curandis fratrum animus, diligentia, charitas enituit non obscurius. Nam cum in tam pestifera contagione aegroti mente, & lecto saepe deciderent, saepe erant complexu restituendi, quod ut non sine magno periculo, ita non sine magno animo, diligentia, & charitate fieri poterat. Quamuis in hoc genere auxilij Societatis studium, quemadmodum diximus, excelluit : fuit nihilominus par in pauperum egestate subleuanda diligentia, partim Collegij bonis (quoad potuit) partim pecunia erogata, quae pro ciuium pietate

te non difficile colligebatur. Imò verò ita misereri hoc studio omnes didicerunt, vt à dominis Abbate Academia, Archiepiscopi Vicario, vrbisque Prætoze, quibusdam etiam è Nostzis accitis, & hortantibus singulis mensibus vicatim stipe collecta, quasi ærarium ad egenos subleuandos constructum sit. Ex quibus omnibus non obscure intelligi potest, qualis sit Nostzorum status, si operarios spectes, quos reliqua pars Collegij suo est in genere satis imitata. Nam & litterarum, & spiritus studia desiderio responderunt: conciones perquam grata, atque vtilis, è quibus fructus non vulgares collecti.

MATRITANVM COLLEGIVM.

 IGET in hac Regia curia, vt par est, Societatis institutum. Laboratur à Nostzis omni in genere satis laudabiliter, in concionibus solitis in templis magno cum fructu, audiendis confessionibus hoc anno longè maiori frequentia, propter grassantem pestem: vbi Nostzi mirificè suam operam impenderunt. Peccandi occasiones multæ sublata: aliena nonnulla, nec parui momenti dominis reddita. Vincti omni auxilio recreati: morte plectendi adiuti, aditæ puerorum scholæ. Philippus Rex Regni, ac paternæ pietatis hæres cum solito comitatu Circumcisionis Dominicæ festum in nostro templo celebrius reddidit, & cū voluntatis erga nos eximia significatione. Subsidij & auxiliij spiritualis causa ad nos sapè venit. Quidam eodem turpitudinis, quo erat incensus igne, foeminam pertraxit, quæ media nocte, & libidine miserè vita defuncta

functa est: hic homo perturbari, pauere, contremiscere, quoquo modo egressum ad amicum contendit, ad arcta cuiusdam viae aditu quidam sibi minime notum occurrit, tanto tamque sulphureo ac fetore foetorem affixit, ut sese in medijs inferis eruciari putaret. Mentis impos ad amicum peruenit satis mirantem, tamen lecta accubuit, quod reliquum fuit noctis atque illuc volutatur: sudat frigidus: surgit albente collo: Nostros adit, confitetur, caluitatis votum emittit, emissio sibi est tandem restitutus.

ALTER vir nobilis Religionis voto se obstrinxerat iam tertio ab hinc anno, nec tamen soluebat. Egressus autem è ludo, ubi non exiguam pecuniam reliquerat, occurrit iuuenis amico nobili huic domo paterna sexaginta lenarum spatio disuncto quam simillimus, se vitro, citroque salutant, simulque vsque ad B. Mariae Dominicanorum coenobium extra urbem longo sermone gradiuntur: cumque deambulando defatigati tantisper cessissent, amicus inquit: Heus tu, quamnam aduersae fortunae praeter violatam Deo fidem causam auctam excidentem memoria nuncupatum Religionis votum, non Deo solutum? quae haec maxima mora est? vnius militum cuius te dona irretitum tenebunt? nonne isthaec vana nonne incertum vitae tempus? si te omni vis molestia liberari, Confessarium pete, animum expia, in melius mores commutato: votum soluto: tunc omnia tibi secunda & salua putato. Hic ille tota mente, atque artibus contremiscere, quod illa sibi, ac Deo tantum nota putaret, nec praeterea cupiam. Tandem domum rediit: amicus valedicto discessit, ea conditione, ut post coenam redeat. Coenatus redijt: euocari amicum iubet, nusquam apparet: amici & parentes domi ex multis diebus fuisse negant: quinimo pridie litteras allatas, quibus scriptum se ex ea urbe, ubi diutius inerat, pestis metu alio migrasse. Hic.

Hærebat ille, tandem intelligit boni genij illa esse monita: octo deinde integros dies attrabili affectus in somnis ac penè ieiunus transegit: usque dum re eum vno è Nostris communicata, expurgato animo, promissa soluturus discessit.

M V R C I A N V M COLLEGIUM.

SPIRITVALIS Nostrorum fructus non minor solito: conciones crebriores, & gratiores quotidie in Cathedrali præferunt. Humaniores scholæ in Circumcisionis Dominicæ die gratum admodum, & ad festum accommodatum Dialogum exhibuerunt. Præcesserat pro studiorum restauratione Tragedia, cui Catharina Martyr nomen, tam grata ac iucunda, ut pro multorum, quibus negari non potuit, votis bis acta sit. Dissidia sedata: Duplex Parthenium Annunciatae Virginis Sodalium, Scholasticorum, & civium crescit mirum in modum, magno totius civitatis exemplo: nam præter cætera vindictis victu subveniunt. Eorum negotia citius absolunt, lites componunt faciliè. Nolodochia inuisunt, quæ omnia cæteros ad virtutem hortantur. Missiones breuiore nonnullæ susceptæ, in quibus Nostrum more solito laborarunt. Quidam Societatis cupidus centum aureos nummos testamento nobis reliquit: Bibliothecam alter sexcentorum aureorum Collegio necessariam.

PLACENTINVM COLLEGIVM.

DVO è Nostris missi sunt in Corianæ Dicece tractum Quadragesimali tempore; alij item oppida huic vrbi vicina: omnes magno cum fructu, & Societatis existimatione non vulgari redierunt. In summa annonæ caritate, nec minore tuius vrbis periculo, imminentisque pestilentiaë metu tribus ferè millibus aureorum ex Illustrissimi Episcopi & Capituli ciuitatis liberalitate pauperibus subuentum idque percommode: à Nostris enim distributio, istius Vrbs multo rogatu suscepta, ea ratio est inita, vt pene cocto ante Collegij vestibulum meridie prandium duobus ferè millibus quotidie breui supplicatione promissa tribueretur. Concorrebat hoc tempore tota ciuitas, tum multitudinis videndaë, tum partiendi ordinis gratia. Sequebatur ex hoc officio magna Societatis tota Vrbe commendatio.

OROPESSANVM COLLEGIVM.

SCHOLASTICI Nostris dominicis diebus vicina oppida Christianaë doctrinaë Catechismo, alia non hinc longè distita duo ex Nostris adierunt, vbi se tam vtiliter gesserunt, vt magno cum illorum dolore discesserint. In loca

TALABVCENSE COLLE. 305

quædam hinc longius aliquanto pestis irrepserat, quo
qui auxilijs, remedij & solatij causa adirêt ex multis cu-
pientibus duo tantummodò electi sunt, ijque plurimum
turo (Deo gratiæ) laborarunt, magnumque desiderium
Societatis reliquerunt.

TALABVCENSE
COLLEGIVM.

SERPENTE pestifera huc, ciuesque non
mediocriter vexante, initio malo penè inco-
gnito, multi tum religiosi, tum seculares Sa-
cerdotes sacramenta ægrotis ministrabant,
tamen vbi pestis nota est, totum ferè onus in nos, & pa-
rochos non multos rejectum est. Nostrorû numerus, qui
quaternarius fuit vno est, imminutus, ineunte peste sub-
lato successit alter tanti animi Sacerdos, vt cum Oro-
peffa moraretur à Patre Rectore illius Collegij piè, e-
nixèque contenderit, vt Nostrî iuuandi gratia huc mit-
teretur. Nec solum Nostrî vicatim ægrotos quærentes
eorum animis medicabantur, sed ad victum, cultumque
necessaria tribuebant ex largitione multorum, qui id
per Nostrôs fieri ita enixè contendebant, vt negari non
posset; ex quo tota ciuitas arctissimè est Societati copu-
lata. Quod etiam significauit; nam cum domini Garssiæ
Loaisæ obitu redditus ducentorum aureorum quos ille
nobis assignarat, intercidissent, eandem pecuniam Se-
natus decreto nobis designauit, quoad alia via illa pecu-
nia nobis accederet.

TOLETANVM, OCA-
NIENSE, OPTENSE, ET
CONCHENSE COL-
LEGIVM.

IN TOLETANO mille aureorum capita
le annui census redemptum. Ocaniensi acce-
ferunt ex piorum quorundam testamento, et
donatione nummi argentei septingenti. Ara
ex aedificatione futurae satis utilis, in summa nostra pa-
upertate metu caritatis, si occasio amitteretur, multo
minoris empta. Item agellus, in quo ex vicinis fontibus
mola frumentaria constructa, quae sumptus longè uberi-
ore fructu compensabit. Ut nihil ferè in hac dioecesi
pestis intactum reliquit, ita nobis obrigit laboris pars,
in quo licet omnes Nostri pro virili laborarint: tamen
Pater Gomesius Camillo ferè septuagenarius, qui pro
eximio charitatis ardore plurimos adiuuit, brevi eodem
morbo sublatus, tanti laboris mercedem est affecturus.

EX OPTENSI missi per vicina loca suam ope-
ram mirificè commendarunt. Reus quidam ad paucum
damnatus obduruerat ne confiteretur, accersitur eo
Noster multas in horas sudat, ad meliorem mentem re-
stituit, restitutus magna cum populi admiratione et vita
sublatus. Reliquiae Sanctorum nobis concessae totius ur-
bis celebri pompa, quanta maxima fieri potest, in die
hic festiuissimo, ex insigni urbis templo in nostro collo-
candè, via publica deductae sunt, & commodo in loco sta-
tae. Hanc pompam multa Nostrorum poesis exornant.

VILLA REGIENSE,
ET BELMONTANVM

COLLEGIVM.



Nihil noui præter iacta fundamenta postremæ partis quadratæ domus, qua abso-
luta nihil deerit perfectæ fabricæ.

SECVRITANVM
COLLEGIVM.



OCASIONES peccandi multis ademptæ: duo in proxima loca missæ: ad motus San-
ctorum Reliquijs, cum Euangelij annuncia-
tione, & recitatione nonnullos febri repen-
tè liberarunt: composita dissidia inter proceres, ex qui-
bus non leue periculum nasciturum videbatur.

CARAVACENSE
COLLEGIVM.



VLGATÆ pudicitæ foeminæ nonnullæ
Nostrorum concionibus ad honestæ vitæ ra-
tionem reuocatæ sunt. Perditæ vitæ iuuenis
concionatorem domum vsque ad cubiculum
comitatus, ab eo vehementer contendit suorum pecca-
torum confessionem ne grauaretur statim audire, quod

ille perhumanè fecit, cū ingēti dolore, magna lachrymarū cōfitentis vi, eamq; cōsuetudinē octauo quoq; die retinet, cū corporis castigatione frequēti, totāq; suā poenitentiam operam in amicis ad idem studiū perducendis. Fœmina existimatione, quę de cōcionatore nostro circumferebatur, audita, statuerat concionem adire: Interim templum quod iam intranti subito sepulchrum aperiri visum est: ac iuxta alterum perquam profundum igne plenum, circumque dæmones minitantes: auditaque vox, age age, perge perge ad Dei Ministrum, ad Dei Ministrum. Arripuit consilium mulier, domum venit: vocato concionatore rem quemadmodum gesta est narrat. Testabantur confitentis conscientia, lacrymæ, singultus, dolor, vera mulierem enarrasse. Quidam accepto vulnere semimortuus corruerat, quanta potuit celeritate noster Confessarius vocatus accurrit: tamen percussus sensum amiserat, nec pulsare arteriam medici capiunt: tempus erat, quo domi vltimum fiebat sacrum: mittitur qui celebranti quo statu esset homo renunciaret, vt animæ salutem exorēt, instat ille, quā velit Dominus, conditione proposita modò exorari se sinat. Mira res, ad se redit desperatus, conscientiam sepe, ac sepius purgat, sacramentis se communit, testamentum conficit, ad vigesimam quartam horam moritur. Medici miraculum clamant. Statuerat alius uxorem interimere subtus lectum gladium eo animo abdiderat, vnus è Nostris hortatu perniciosum abiicit consilium. Quadragesimæ initio Nostrorum oratione effectum est, vt vinctis quotidiano cibo subueniretur.

PRO